



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Q. Septimii Florentis Tertulliani Carthaginiensis
Presbyteri, Opera Qvæ Hactenvs Reperiri Potvervnt
Omnia**

**Tertullianus, Quintus Septimus Florens
Coloniæ Agrippinæ, Anno M. DC. XVII.**

Ex Bellarmino De Scriptoribvs Ecclesiast.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71872](http://urn.nbn.de/hbz:466:1-71872)

hoc mihi fore sperem ad instar supplicis libelli, quo aliquando impetrare liceat, ut mihi iussa TV & MAIESTATIS mutatur in proximam editionem Graecum illud Tertulliani exemplar, quod in Bibliotheca vestra Hispanica adservari à fide dignis accepi.

Itaque MAIESTAS V. REX CLEMENTISSIME, munusculum hoc equi, queso, boni, consulat, meas. Annotationes in Tertullianum aduersus aduersarios calumnias suo tueatur patrocinio, mei interim in hec nostro Religionis Catholicae causa, exsilio voluntario memor. Quod reliquum est, MAIESTATI Vestræ quam officiosissime me commendans, Deum Opt. Max. obsecro, ut eidem MAIESTATI Vestræ profectam, perpetuam faciat.

Duaci xij. Septembri, anno à nativitate Domini 1579.

MAIESTATI VESTRÆ deditissimus
in Christo seruus

JACOBVS PAMELIUS.

EX BELLARMINO DE SCRIPTO-

RIBVS ECCLESIAST.

TERTULLIANVS tempore Seueri Imperatoris floruit, vt ipse testatur lib. i. in Marcionem, in Apologetico, cap. 4. & alibi. Initio Catholicus ardentissimi zeli, deinde in Montani haeresim prolapsum contra Ecclesiam non pauca scripsit. Ergo opera Tertulliani indubitate sunt.

<i>De patientia.</i>	lib. i. <i>Ad Martyres.</i>	i. <i>De Pallio.</i>
<i>De Carne Christi.</i>	i. <i>De Panitentia.</i>	i. <i>De Idololatria.</i>
<i>De Resurrectione carnis.</i>	i. <i>De Virginibus velandis.</i>	i. <i>De Pudicitia.</i>
<i>De prescriptionibus aduersus hereticos.</i>	i. <i>De Habitibus mulierib.</i>	i. <i>De Ieiunio aduersus psychi-</i>
<i>Aduersus Iudeos.</i>	i. <i>De fuga in persecutione.</i>	i. <i>cos.</i>
<i>Aduersus Marcionem.</i>	i. <i>Ad Scapulam.</i>	i. <i>Scorpiacum contra Gnosticos.</i>
<i>Aduersus Valentianos.</i>	i. <i>De testimonio anime.</i>	i. <i>De Oratione.</i>
<i>Aduersus Hermogenem.</i>	i. <i>De Anima.</i>	i. <i>De Specieculis.</i>
<i>Aduersus Praxeum.</i>	i. <i>De Monogamia.</i>	i. <i>De cultu Feminarum.</i>
<i>De corona Militis.</i>	i. <i>De Baptismo.</i>	i. <i>Ad uxorem suam.</i>
		i. <i>Apologeticus aduersus Gentiles.</i>

Ex his libris sanctus Hieronymus in lib. de Script. Eccles. dicit, scriptos esse contra Ecclesiam à Tertulliano iam tum haeretico, librum, De fuga in persecutione, De exhortatione castitatis, De Monogamia, De pudicitia, De ieiunio, quibus crucem addidimus. Librum de oratione scribit sanctus Hilarius in Can. 5. Matthæi, esse volumen apertissimum, sed consequentem errorem auctoris deraxisse scriptis probabilibus auctoritatem.

Opera Tertulliani dubia, vel supposita. *De Trinitate, lib. 1. De cibis Iudaicis, epistola.*

De libro de Trinitate dissentient sanctus Hieronymus, & Ruffinus: hic enim in Apologia pro Origene scribit, librum de Trinitate Tertulliani ab haereticis cum operibus sancti Cypriani coniunctum fuisse, vt fallerentur incautos. Ille autem in secundo libro aduersus Ruffinum contra assert, librum illum de Trinitate, non esse Tertulliani, sed Nouatiani.

Idem etiam sanctus Hieronymus in lib. de Script. Eccles. in Nouatiani, scribit. Nouatianum scripsisse grande volumen de Trinitate quasi Epitomen operis Tertulliani. Vbi aperit significat, Tertullianum quoque scripsisse de Trinitate, cuius libri epitomen Nouatianus ediderit. Sed quicquid de hac refit, dubitari non posse existimo quin liber de Trinitate, qui nunc extat inter opera Tertulliani, Tertulliani non sit: nam in eo libro refutatur nominatim Sabelliana haeresis. Sabellius autem post tempora Tertulliani apparuit, & in tempora Nouatiani incidit, vt notum est ex Epistola Dionysij Alexandrinij apud Eusebium, lib. 7. hist. cap. 5. Adde quod stylus (vt etiam sanctus Hieronymus annotauit) aperit clamat, librum illum Tertulliani non esse.

Liber, sive Epistola de cibis Iudaicis, non videtur stylum habere Tertulliani: & videtur ab aliquo Episcopo propriæ plebi transmissus. Tertullianus autem Episcopus non fuit. Interim tamen nihil definito, sed causas dubitandi in medium pono. Illud postremo addendum videatur, Tertulliani libros cum iudicio esse legendos, non eos tantum, quos sancto Hieronymo teste, contra Ecclesiam propriè scripsit, sed etiam librum aduersus Praxeum, librum de anima, librum aduersus Hermogenem, librum de carne Christi, & librum de penitentia. In his enim propositiones non pauca, vel erronea, vel certe suspectæ occurunt.